

bono opere ad vitam æternam, & consequenter ad gratiam, quæ est semen, & mensura gloriæ. Unde eo passu, quo resurgunt merita, resurgit gratia, quam merebantur, sed saltem jus ad illam, & ad virtutes gratiam consequentes.

Dico. (Hic q. 89. art. 5. o.) Merita, per peccatum mortificata, reviviscunt per penitentiam. Hæc Conclusio, quamvis non sit de fide, est tamen certa, & unanimiter asserta ab omnibus Theologis. Prob. (Ibid. in arg. s. c.) 1. Auctoritate Scripturæ, Concilii Trid. & Patrum. Joël 2. postquam Dominus v. 11. dixit: *Convertimini ad me in jejuniis, fletu, & planctu, v. 25. subjungit in mercedem hujus conversionis: Reddam vobis annos, quos comedit locustia, bruchus, & rubigo. Super quæ verba Glossa interlinealis ex Hieron. desumpta dicit: Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis; illa autem ubertas est meritum bonorum operum, quod per peccatum fuit perditum. Ezech. 33. Impietas impij non nocet ei, in quantum die conversus fuerit: noceret verò plurimum, si priorum meritorum fructum perderet. Apost. Hebr. 6. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Ubi Paulus alloquitur omnes Hebræos, inter quos absque dubio erant, qui lapsi fuerant. Hancque textum proponit Concil. Trid. sess. 6. c. 16. is, qui peccaverunt, dicens: *Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perperam conservaverint, sive amisam recuperaverint, proponenda inter alia hæc verba Apostoli: Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.**

Item Concilium ibid. dicit: *Nihil justificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè, illis quidem operibus, que in Deo sunt facta, divina Legi pro hujus vite statu satisfecisse, & vitæ æternæ suo tempore, si tamen in gratia decederint, consequendam promeruisse, censentur.* Ubi Concilium innuit, tres condiciones requiri, ut opera nostra sint meritoria, & præmium suum obtineant; scilicet, ut sint opera hominis justificati, ut sint facta in Deo, sive a gratia Dei, & ut qui ea facit, in gratia decedat; atque *Nihil amplius deesse credendum est;* atque merita mortificata habent duas priores condiciones, & tertiam recipiant virtute penitentis, in qua datur gratia, cum qua penitens potest decedere: ergo.

Hieronymus in c. 3. ad Galat. ubi Apostolus de iis, qui post plura pro Christo tolerata lapsi erant in Judaismum, dicit: *Tanta passi estis sine causa? Si tamen sine causa; scribit Quitumque ob fidem Christi laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut prius dicitur passus fuisse sine causa, dum peccat; sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem, & ad antiquum studium revertatur.*

Ambrosius libr. 1. in Luc. Vide, inquit, quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solum oblatum restituit, sed etiam insperatam concedit. Chrysost. hom. 6. in Genes. Per misericordiam Dei, si modo condemnare facta nostra, & jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire.

Prob. 2. ratione. (Ib. o.) Merita mortificata reviviscere, est ea recuperare vim, & efficaciam perducendi suum Auctorem in vitam æternam, quam efficaciam perdidit per peccatum, & propterea dicebantur mortificata; atque per penitentiam hanc efficaciam recuperant: ergo. Prob. Min. Causa remanens, sed carens suo effectu propter impedimentum, eo ablato, debet effectum suum producere; atque merita, licet actu transierint, remanent tamen quantum est de se in acceptatione divina, & per penitentiam tollitur impedimentum, scilicet peccatum, sistens eorum effectum: ergo. Min. pro 2. parte patet. Prob. 1. pars. Quamvis Deus absolute potuisset merita non acceptate ad præmium pro semper, sed tantum sub conditione perseverantis in justitia, sicut peccata ad poenam non acceptat pro semper, sed sub conditione impoenitentis; ea tamen sic acceptate colligimus. 1. Ex Scripturis, Patribus, &c. Concilio Trid. cit. atque ex unanimi Theologorum consensu. 2. Quia Deus est proclivior ad præmiandum, quam ad puniendum, & semper punit infra, præmiat autem ultra condignum. 3. Quia hoc ipso quod bona opera Deo semel placuerunt, nunquam illi displicent: semper enim manet, quod fuerint bona, & ab ejus gratia procedentia, sicut acceptatio est perpetua. Quapropter propter peccatum sequens illa non abicit a sua acceptatione, licet peccatorem abiciat, quando est in peccato; sed eo ablato congruum est, ut illa merita sine remuneratione non relinquat. At verò peccatum per penitentiam deletum non remanet, neque in se, ut patet, neque in acceptatione Dei, quia nunquam ipsi placuit; neque in acceptatione divine justitiæ ad puniendum, quia divina justitia non punit, nisi id quod nondum fuit punitum, & pro quo non est satisfactum, atque supponendo reatum poenæ; peccatum verò per penitentiam deletum fuit, punitum, & pro eo satisfactum ex meritis Christi; nec reatus poenæ redire potest, quia non redit actus voluntarius, a quo causatur. 4. Quia, ut supra diximus, peccatum est opus hominis, quod

non potest destruere absolute in se opus Dei, quale est meritum. 5. Denique circa bona opera non plus valet culpa, quam gratia; sed culpa mortificat: ergo gratia vivificat.

Dices 1. Sicut per penitentiam subsequentem remittuntur peccata præterita, ita per peccatum sequens mortificantur opera prius in charitate facta; atque peccata dimissa per penitentiam non redeunt per subsequentem peccatum: ergo nec opera mortificata reviviscunt per charitatem, seu penitentiam subsequentem. R. (Ibid. ad 1.) D. Maj. ly sicut dicente omnimodam paritatem, N. Maj. ly sicut dicente aliqualem paritatem, C. Maj. & Concessa Min. N. Conseq. In hoc ergo est paritas, quod, sicut peccata semel dimissa non nocent amplius homini ad damnationem æternam, ita nec merita semel mortificata nihil prosunt homini ad vitam æternam, quando remanent mortificata, seu est in statu peccati. Est autem disparitas, quod opera peccati per penitentiam abolentur secundum se, & absolute, ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo sic indulgente, qui ea projicit in profundum maris, ut dicit Scriptura, nec macula, nec reatus inducatur; sed opera ex charitate facta non abolentur absolute, & in se, sed quantum est ex se, remanent in acceptatione divina, ut dictum est, & tantum impedimentum accipiunt ex parte hominis, ne ei prosint: & idem, remoto impedimento quod est ex parte hominis, Deus implet ex parte sua illud, quod opera merebantur.

Inst. Ezech. 18. Sicut dicitur do peccatore penitentem agente: *omnium iniquitatum ejus non recordabor, sic de justo, qui peccavit mortaliter, dicitur: Omnes justitiæ ejus non recordabuntur;* atque iniquitates non redeunt: ergo justitiæ non reviviscunt. Respondetur (In 4. d. 22. q. 2. art. 1. ad 6.) communiter, ex hoc textu nihil aliud sequi, quam quod, sicut Deus non recordatur impietatum, ita nec justitiarum, quando homo in peccato remanet; & in hoc solo sita esse paritatem; non verò in hoc, quod, sicut impietates non redeunt, sic nec justitiæ reviviscunt, quia Scriptura dicit, equidem impietatem deleri per penitentiam, & justitiam per peccatum, sed non explicat modum, quo utraque deletur; non enim omnia in eodem Scripturæ loco dicuntur; sed ex aliis locis colligimus, iniquitatem per penitentiam absolute in se deleri, justitiæ verò non deleri in se per peccatum, sed impediri tantum a suo effectu. Confirm. Responsio ex eo, quod, cum Deus sit prior ad parcendum, quam ad puniendum, & promissiones ejus sint favorabiles, comminationes autem odiosæ, illæ debeant ample intelligi, istæ restringi. Verum non aliunde quam ex ipso textu repetenda est solutio; in eo namque agitur de peccatoribus in suo peccato morientibus; subdit enim immediate: *In prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato quod peccavit, in ipsis morietur.*

Urges. Plus valet peccatum ad destruenda merita, quam gratia ad destruenda peccata; peccatum enim est malitiæ infinitæ, & gratia bonitatis finitæ: ergo. R. D. Ant. Plus valet peccatum ad destruenda merita, quam gratia ad destruenda peccata, si considerentur præcisè secundum se, Transit; possent namque negari; quia peccatum non mortificat merita ratione malitiæ infinitæ, sed quia est impossibile cum gratia, si consideretur, ut subsunt Legi divine misericordiæ, & voluntis acceptare ad præmium merita præterita mortificata, & nolentis punire peccata dimissa etiam in relapso, N. Fundamentum autem hujus Legis habes in probationibus Conclusionis.

Dices 2. Opera dicuntur mortificari ad similitudinem animalium, quæ moriuntur, ut docet S. Thom. art. 4; atque animal mortuum non potest iterum vivificari: ergo pariter, nec opera mortificata, &c. R. D. Maj. (Ibid. ad 2.) Opera dicuntur mortificari ad similitudinem aliqualem animalium, quæ moriuntur, C. Maj. ad similitudinem omnimodam, N. Maj. Est ergo in hoc similitudo, quod & animalia mortua, & merita mortificata priventur operatione sua, & effectu. Est autem Disparitas, quod merita non mortificantur secundum se, ut dictum est, sed solum per impedimentum proveniens ex parte operantis: animalia autem moriuntur secundum se, in quantum privantur principio vite. Unde merita mortificata debent potius comparari membro viventi quidem, sed propter aliquod impedimentum functiones suas exerceat, non valenti.

§. II. In quo gradu, & quantitate merita, per peccatum mortificata, reviviscunt per Penitentiam?

Quidam volunt, merita mortificata reviviscere quoad omnes gradus, & omnem quantitatem, quam habebant, quantumvis sit remissa poenitentia, ita quod qui habebat merita ad decem gradus gloriæ, si resurgat ut duo, habebit merita ad duodecim. Ità plures, tam antiqui, quam Recentiores, præsertim Suarez in opusculo de reviviscencia meritorum. Alii volunt, quod reviviscant secundum quantitatem præsentis dispositionis, seu poenitentis. Ità cum Auctore communiter Thomistæ, & plures extranei; sed tamen diverso sensu. Quidam

sie

sic intelligunt, quod nullus alius gradus conferatur poenitentis præter eum, qui correspondet contritioni, per quam resurgit, ita ut nihil recuperet de jure ad præmium essentiale præcedentibus meritis debitu, sed tantum ad præmium accidentale; idem autem præmium essentiale conferatur duplici titulo, nempe titulo præsentis dispositionis, & titulo meritorum præcedentium. Ità Bannes, Silvius, Contenson. Alii dicunt, merita sic reviviscere secundum quantitatem præsentis dispositionis, ut præter gradum, qui illi debetur, aliquid conferatur de jure ad præmium essentiale correspondente prioribus meritis; ità Soto, Nugno, Alvarez, Ledesma, quos citat, & sequitur Gonet.

Hæc autem Sententia dupliciter explicatur. Prima, & communior explicatio est: quod, si is, qui habebat prius merita ad decem, resurgat per actum contritionis ad duo, habebit jus ad gloriam ad quatuor gradus, quorum duo respondent præsentis dispositioni, alii duo præcedentibus meritis mortificatis. Altera explicatio est Dominici Soto, qui dicit, quod ille, qui resurgit summo conatu, & in perfecta poenitentia recuperat omnem gratiam, a qua ceciderat, quia, inquit, si contritio est dispositio ad vivificationem operum, fit, ut optima, quæ esse potest, in integrum illa restituitur; nam, sicut posita dispositione ponitur effectus, sic posita summa, ponitur summus effectus. Unde, si contritio deficit ab illa summa, in ea proportione, qua ab ea distat, restituitur antiqua gratia; ut si contritio est medietas summa, restituitur medietas gratiæ; si fuerit quarta pars, restituitur ei quarta pars gratiæ pristinæ. Quia, si per summam poenitentiam tota ruina reparatur, videtur, quod illa proportio sit servanda inter minores causas, & effectus, ut docet Philosophus 6. & 7. Physic. Ità laudatus Theologus; & hæc explicatio satis aridet.

Pro resolutione hujus difficultatis, in qua, ut ingenuè fatear, inter tot opiniones vix aliquid certi statui potest, observandum est, gratiam posse sumi dupliciter. 1. Physicè, pro qualitate, qua participat efficimur divinæ naturæ. 2. Moralitè, pro jure morali ad gloriam meritis bonis operibus, vel præteritis, vel præteritis quidem, sed remanentibus in Dei acceptatione. Neque ista distinctio est fictitia, ut contendit quidam Retentor Thomista, sed fundata in Auctore 3. p. q. 7. art. 11. o. ubi distinguit inter gratiam Christi, consideratam in esse entis, & consideratam in esse gratiæ. Si dicas, jus ad gloriam fundari in gratia physicè sumpta. Id quidem verum est de jure physico, & intrinseco ad gloriam ut hæreditatem; non verò de jure morali, & extrinseco ad gloriam ut coronam, & mercedem; illud namque fundatur in bonis operibus, quæ Deus acceptat ad gloriam, & ad præmium. Hic itaque inquirimus tantum de reviviscencia gratiæ sumptæ moralitè pro jure ad gloriam; quia meritum dicit jus ad gloriam, ideoque meritum reviviscere est recuperare jus ad gloriam. Quomodo autem, & quando resurgat, & augetur poenitentia in esse physico, ad quam recuperatur jus per actus remissos gratiæ, dicemus in Tract. de Charitate, dum de ejus augmento.

Dico 1. Merita, per peccatum mortificata, non semper reviviscunt per penitentiam in eo gradu, & eadem perfectione, quam habebant, antequam mortificarentur; sed secundum quantitatem, & proportionem præsentis dispositionis. Est manifestè S. Thom. hic q. 89. art. 2. o. ubi dicit: *Contingit, intentionem motus poenitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam illa, a qua exciderat per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque verò minori. Et idem Poenitens quandoque resurgit in majori gratia, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori.* In Resp. ad 2. Poenitentia quantum est de se habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulterioriorem statum; sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissus movetur in Deum, & detestationem peccati. Et art. 3. ad 3. *Qui per penitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur.* Id etiam innuit Trid. Sess. 6. c. 7. ubi dicit: *quod unusquisque recipiat justitiam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem.*

Prob. ratione. Contritio, per quam resurgit poenitens, non solum est remotio impedimenti ut arbitratè adversarii, sed est etiam dispositio moralis ad reviviscenciam meritorum; atque causa non product effectum nisi secundum dispositiones subjecti: ergo. Prob. Maj. Sicut contritio ad tria, v. gr. est dispositio physica ad gratiam ad tria physicè sumptam, ita dispositio moralis ad gratiam moralem ex meritis reviviscencibus, quæ manet in acceptatione divina. Unde, sicut vi Sacramenti, vel contritionis habetur jus physicum ad tria, ita æquale jus morale habetur per merita reviviscencia: istæ enim duæ causæ non se impediunt. Nec obstat, quod sit tantum dispositio ad tria, ubi enim duæ causæ concurrunt, eadem dispositio sufficit cuilibet ad suum effectum. Partis est in Baptismo sic suscepto; qui, dum reviviscit per penitentiam, cosequitur suum effectum, & poenitentia suam, secundum mensuram præsentis dispositionis, ut dixi Theolog. Biluar. Pars Tertia.

de Baptismo Dissertatio 4. articulos 2. Petit. 2.

Dices. Poenitentia non est dispositio moralis ad reviviscenciam meritorum, nisi ex beneplacito divino; atque non est ratio, cur Deus eam acceptet ad certos gradus meritorum mortificatorum, & non ad omnes: ergo. R. N. Min. Sunt enim plures rationes, & ex eis confirm. Conclusio: 1. Quia, seclusa Dei revelatione, debemus loqui de supernaturalibus, proportionem servata, sicut de naturalibus; partim ne detur cuilibet occasio quodlibet fingendi; partim quia exigit suavis Dei providentia, ut de supernaturalibus disponat ad modum rerum naturalium, quæ sunt nobis nota; causæ autem naturales non producant effectum, nisi secundum dispositiones subjecti. 2. Per hanc modificationem salvantur jura misericordiæ, & justitiæ. 3. Si merita mortificata semper reviviscerent in summo gradu, daretur justis occasio temporis, & facilitatis ad peccandum, cum viderent tam facilem meritorum reviviscenciam quoad totam suam perfectionem. E contra ex nostra sententia inducuntur ad eliciendos actus ferventiores charitatis, & contritionis, sive in ipsa conversione, sive postea, quibus opera mortificata magis, ac magis reviviscant, quousque in integrum restituantur.

Dico 2. Merita mortificata reviviscunt secundum quantitatem præsentis dispositionis, non hoc sensu quod eadem gloria essentialis conferatur poenitenti duplici titulo, scilicet titulo præsentis dispositionis, & titulo meritorum mortificatorum; sed hoc sensu, quod, ultra jus ad gloriam essentialem correspondentem præsentis dispositioni, conferatur aliquid de jure ad distinctam gloriam essentialem correspondentem præcedentibus meritis. Prob. Quia alioquin reviviscencia meritorum non salvatur cum proprietate: ergo. Prob. Ant. Merita reviviscere nihil est aliud, quam ea iterum acceptari ad gloriam essentialem, quam merebantur; atque, si ultra gloriam essentialem quæ debetur præsentis dispositioni, non detur altera, quæ correspondeat meritis præcedentibus, sed tantum eadem duplici titulo detur, non proprie iterum acceptantur ad gloriam essentialem, quia etsi non præcessissent, perinde foret, & æqualis gloria. Sicut, si quis per decem dies in vinea arboribus laborasset, & daretur illi stipendium unius diei decem tritulis, novem dies priores non censerentur computari, & justè compensari ergo.

Confirm. Pone casum, quod aliquis 80. annis sanctissimè vixerit, & in fine vite peccet mortalitèr, & alter per idem tempus flagitiosissimè vixerit; uterque autem resurgat in eodem poenitentis gradu, puta ad quatuor; uterque secundum sententiam, quam oppugnamus, æquali gloria donabitur: ergo in primo nulla habebitur ratio præcedentium meritorum, adeoque proprie non reviviscitur.

Naque dicas, quod respectu meritorum præcedentium confertur primò majus gaudium accidentale de operibus in prima charitate factis. Nam contra 1. Vita hominis est vite æternæ: ergo, nisi illis meritis responderet præmium vite æternæ, proprie non reviviscunt. Unde Concilium Trid. sess. 6. c. 16. dicit, merita vivificata valere, ad consequendam suo tempore vitam æternam; vita autem æterna est gloria essentialis. 2. Quia sequeretur, quod impietas impij ipsi multum noceret, etiamsi converteretur; & quod Deus nullo modo redderet annos, quos comedit locusta, & bruchus; contra Scripturam.

Sententia itaque nostra, his duabus Conclusionibus explicata, in hoc est cæteris antepōnenda, quod media via incedat inter nimium rigorem, & nimiam indulgentiam. Nimis namque rigor videtur, quod homo poenitens non resurgat nisi ad gloriam essentialem, quæ præcisè respondet dispositioni præsentis, & nullatenus ad aliquam saltem partem illius, quæ debeatur meritis præcedentibus: unde poenitentes animo exardent, & in desperationem labuntur. Ex altera parte videtur nimia indulgentia, quod poenitentes semper resurgant ad majorem gratiam, & gloriam: unde peccatores fiunt presumptuosi, & negligunt bona opera. Uterque verò scopulus cavetur, & jura misericordiæ, & justitiæ conciliantur dicendo, quod homo poenitens resurgat secundum quantitatem dispositionis præsentis ad aliquem gradum præmii essentialis, distinctum ab illo, qui respondet præsentis dispositioni.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Contra 1. Conclusionem. Remotio impedimento, sequitur effectus, ut antè; atque peccatum est impedimentum meritis, & removetur per Penitentiam: ergo. R. D. Min. Peccatum est impedimentum meritis tantum, N. simul, & defectus dispositionis, C. Unde poenitentia non est mera remotio impedimenti, sed etiam dispositio moralis ad reviviscenciam meritorum, ut probatum est.

Inst. Gratia, quæ confertur per Sacramentum Poenitentis non commensuratur dispositioni poenitentis; qui enim attritus accedit ad Sacramentum, recipit gratiam, quamvis attritus non



non sit dispositio sufficiens, & proportionata gratiæ: ergo etiam dum confertur ante Sacramentum. R. D. Maj. Gratia, quæ confertur per Sacramentum Poenitentia, non commensuratur dispositioni poenitentis arithmetice, C. proportionaliter, N. Non itaque gratia per Sacramentum collata sic commensuratur dispositioni poenitentis, quasi dispositio debeat esse tanta, quanta est gratia, ita ut si gratia sit ad quatuor, etiam dispositio sit ad quatuor, sicut debet esse in collatione gratiæ extra Sacramentum; commensuratur tamen proportionaliter, quia quod major est dispositio in accedente ad Sacramentum, eò majorem recipit gratiam. Nec mirum, quod non tantum requiratur dispositio, quando gratia confertur per Sacramentum, quia tunc confertur ex opere operato; & Deus supplet in adultis partem dispositionis, sicut supplet totam in infantibus, qui baptizantur. Extra Sacramentum autem habetur gratia ex opere operantis per actus charitatis, & contritionis, & ideo Deus dispositionem non supplet.

Obj. 2. Ambrosius, seu Aug. 3. hypognost. dicit, quod Poenitentia est res optima, quæ omnes defectus revocat ad perfectum. Et Apost. Rom. 5. dicit: Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia; atqui utrumque videtur falsum, si merita in toto non reviviscant per poenitentiam: ergo Item ex hac sententia sequeretur contra expressa Scripturæ testimonia §. præced. laudata, quod Deus non redderet annos, quos comedit locusta; quod impietas in ipsi noceret, etsi convertatur; quod Deus oblivisceret operis nostri, &c. ergo. Item sequeretur, quod homo, qui non resurgeret in contritione æquali præteritis meritis, & statim moreretur, puniretur in æternum propter peccatum præteritum, atque etiam tunc, cum in celo esset beatus. Item sequeretur, quod, qui ante peccatum habebat meritum ut viginti, si resurgat ut duo, non consequatur majorem fructum, quam qui habebat meritum ut duo, & resurgit ut duo; atqui hæc videntur absurda. Denique Trid. sess. 6. can. 32. dicit, opera hominis justificati facta a gratia Dei verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decedat, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Et c. 16. supra citato, dicit præter ista tria nihil amplius deesse, quominus censeantur justè promeruisse vitam æternam suo tempore consequendam: ergo ex Trid. quæcumque bona opera per peccatum mortificata reviviscunt, & augmentum gratiæ, & gloriæ, si homo in gratia decesserit, consequentur.

R. ad 1. (Ibid. art. 2. ad 2.) quod Poenitentia, quantum est de se, habeat virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum; sed hoc quandoquæ impeditur defectu dispositionum ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum, & in detestationem peccati. Sicut etiam in Baptismo aliqui adulti consequuntur majorem, vel minorem gratiam, secundum quod diversimodè se disponunt. Ad 2. (Ibid. ad 3.) Sensus Apostoli non est, quod quantum quis abundantius peccat, tantò abundantius gratiam habitalem recipiat. Sed sensus est, quod superabundet gratia superabundanti delicto quoad rationem ipsam gratiæ, quia magis gratis magis peccatori confertur. Adde quod Apostolus loquatur de gratia Christi, quæ est superabundans, hoc est, plusquam sufficiens ad delenda omnia, & infinita peccata.

Ad 3. R. Juxta solutionem D. Thom. mox datam, hæc omnia testimonia vera esse in nostra sententia, attendente ratione Poenitentia, quæ, quantum est ex se, potest reparare omnes defectus ad perfectum; quod autem non fiat ita, accidit defectu dispositionum in poenitente, qui remissius movetur in Deum, & in peccatum. Undè restitueret Deus annos etiam integros, quos comedit locusta, si sufficienter homo foret dispositus huic restitutioni. Nec etiam impietas ipsi nocet, quia non datur ipsi minor gratia, & gloria ratione, & merito peccatorum præcedentium, sed quia non se bene præparat ad majorem. Adde, quod præcipue hoc loco significatur, quod impietas poenitentis non ipsi nocet ad damnationem: alioquin nocet, & quoad habitus malos relictos, &

quoad reatum poenæ temporalis. Nec Deus obliviscetur operis nostri, qui quantum est ex se restituit omnia, ubi fuerint ad ea sufficientes dispositiones i obliviscetur autem, si poenitentia sufficienter dispositio non redderet. Ad 4. R. cum Gonet, privationem illam juris ad aliquem gradum gloriæ essentialis, quem homo meruit ante peccatum, non esse proprie peccati præteriti, quasi Deus adhuc intendat per illum punire peccatum poenitentia deletum; sed est tantum defectus sequens ex alio defectu, videlicet, sufficientis dispositionis: sicut, qui, cum pauciora bona fecit in hac vita, non recipit plura præmia in celo, non dicitur puniri.

Ad 5. Id non sequitur juxta explicationem Soti, de qua supra. Juxta verò communem explicationem, N. Min. Quia hoc non provenit nisi ex defectu dispositionum, quod non est absurdum. Undè prius, attentis meritis prioribus, & poenitentia, plusquam secundum recuperare deberet, si sufficientes dispositiones poneret. Ad ultimum, C. totum. Sed, quod revisiscant merita ad integrum augmentum gratiæ, & gloriæ ad quod ante peccatum valebant, quod est nostra questio, non definitur Concilium, sed Theologis disputandum relinquit: quamvis sententiam nostram innuat, ut patet ex Probatione Conclusionis.

Obj. 3. Contra 2. conclusionem cum Banne, Contenson &c. S. Thom. hic art. 5. ad 3. sic ait: Ille, qui per poenitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentialitè secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. Idem docet in 3. d. 31. q. 1. art. 4. ad 4. ergo censet S. Doctor, merita non reviviscere ad gloriam essentialitè juxta mensuram præcedentis dispositionis, sed tantum ad gloriam accidentalem. R. N. Conseq. Quin imò contrarium innuit S. Doctor hisce testimoniis, dicit enim, quod Ille, qui per poenitentiam resurgit in minore charitate, dicitur quidem præmium essentialitè (correspondens scilicet meritis antiquis, de quo procedebat argumentum) secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur. Vult ergo solam, quod, quia tale jus ad præmium essentialitè interdum minus est, quam illud quod fuit ante peccatum, ob defectum ordinariæ dispositionis, & contritionis, in qua poenitens resurgit, pro illo excessu, & meritis non perfecte vivificatis poenitens solum habet jus ad aliquod præmium accidentale, gaudium scilicet de illis operibus in prima charitate factis: quod ideo dicit fore majus, quam gaudium de operibus in secunda charitate factis; quia magis gratis obtinuit per remissionem præmium essentialitè illorum, cujus fuerat factus indignus per peccatum, quam præmium essentialitè operum in secunda charitate factorum, quæ nunquam fuerant mortificata. Hæc ergo D. Thom. testimonia, in quibus tantum vim faciunt adversarii, non militat contra hanc 2. Conclusionem, sed probant 1.

Obj. 4. contra eandem. Idem præmium meruit Christus pluribus titulis. Et ex Trid. sess. 6. cap. 16. eadem gloria datur justis, & ut hæreditas, & ut præmium: ergo similiter potest dici, quod idem gradus gloriæ essentialitè detur pluribus titulis, scilicet titulo præsentis meriti, & præcedentium reviviscendum. R. N. Conseq. Quoad 1. disparitas est, quod, cum quolibet opus meritum Christi esset infinitum in ratione meriti, nihil restabat, quod per subsequens opus posset mereri, ideoque idem variis titulis merebatur, quia aliter fieri non poterat; non sic autem in nostro casu, ita Gonet. Disparitas in secundo est, quod, licet per gratiam constituamur Filii Dei adoptivi, adeoque ejus gloriæ hæredes, noluit tamen Deus eam nobis conferre nisi propter merita; quia talis modus eam acquirere non nobilibus, & nobis gloriosior. Quia de causa, & quia sunt tituli diversæ rationis, non est inconveniens, quod propter utrumque eadem gloria detur. At vero omnia nostra merita prima, & secunda sunt ejusdem rationis; & non est aliqua ratio, ut in priori casu, cur duplici merito unum præmium respondeat.

DISSERTATIO IV.

DE PARTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ IN PARTICULARI, ET PRIMO DE CONTRITIONE.

D. Thom. Suppl. Q. 1. 2. 3. 4. & 5.

Auctor q. 90. seq. agit de partibus Sacramenti Poenitentia: in generali, de quibus nos egimus in Dissert. 1. Hæc autem sunt quatuor: Contritio, Confessio, Satisfactio, & Absolutio;

Intio; de quibus in particulari disserere non potuit S. Doct. morte prævenitus, magno Republicæ Christianæ detrimento. Quæ vero sequuntur, ex ejus Scriptis in 4. sententiarum collectione

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

ta sunt in unum, quod vocatur Supplementum Summæ. Et, quamvis huic Supplemento sua nec parva inquit auctoritas, non tanta tamen quanta Summæ; quia illic S. Doctor agebat partes Commentatoris, in Summa vero partes perfecti & consummati Doctoris.

ARTICULUS I.

De Quidditate & qualitate Contritionis.

HÆC nomina Contritio & Attritio (Suppl. q. 1. art. 1. o.) per metaphoram translata sunt a corporalibus ad spiritualia. Sicut enim in corporalibus res dura dicitur ateri vel frangi, quando in magnas partes dividitur, conteri autem, seu comminui, quando in minutas partes dividitur; ita per similitudinem in spiritualibus cor humanum, quod peccatis & affectibus inhærendo, durum factum & obedire nescium (undè & lapideum vocatur Ezech. 11.) conteri dicitur, dum virtute divina per poenitentiam affectum peccati, cui adherendo durum factum fuerat, totalitè dimittit: ateri autem, dum non ita perfecte dimittit.

Dico 1. (3. p. q. 85. art. 3. & 4.) Contritio ut sic, prout abstracta a statu veteris & novæ Legis, a perfecta & imperfecta, est Animi dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Ita in terminis Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. cui definitio si addas ex Trid. cum voto præstandi reliqua... quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, habebis definitionem Contritionis, prout convenit statui novæ Legis, coincidentem cum ista Auctoris. (Suppl. q. 1. art. 1. o.) Dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Sufficit autem istud votum continendi esse implicitum, sicut dixi de voto ipsius Sacramenti Dissert. 1. art. 5. §. 3. Require ibi.

Explicatur definitio. Dicitur 1. Animi dolor; quia Contritio non est dolor partis sensitivæ, sed affectus rationalis, seu voluntatis. Non raro tamen ex vera Contritione oritur in appetitu sensitivo ex passio, quæ dicitur dolor, & est laudabilis, quatenus imperatur à voluntate; non est tamen ad veram Contritionem necessarius, cum non sit in potestate hominis. Dicitur 2. Detestatio, seu odium; quia dolor nascitur ex odio in subjecto doloris capaci, & ad contritionem necessariò requiritur, ut dicam modo. Dicitur 3. (Ib. q. 2. art. 1. o.) De peccato, non est de peccata peccati; quia contritio in spiritualibus importat voluntatis duræ comminationem. Hæc autem voluntatis durities est in dolo culpæ, & non poenæ; dicitur enim voluntas dura, in quantum ita in suis terminis stat, ut præcepto Legis non cedat. Dicitur 4. De peccato, utique ut peccatum est, seu ut est malum, & offensiva Dei; alioquin non esset actus poenitentia, ut patet ex Dissert. 2. art. 1. & amplius dicemus infra. Dicitur 5. (Ibid. art. 3. o.) De peccato commisso non committendo. Peccatum enim nondum commissum non est expiabile, nec quisquam dolet se commissurum peccatum, quod ex ejus voluntate pendet. Dicitur 6. (Ib. art. 5.) De peccato, utique proprio, non alieno; quia contritio debet esse in eo, quo durities peccati, quod conteritur, præcessit: illud enim idem conteritur, quod prius durum fuit. (Ibid. art. 2.) Nec de originali; quia cum contritio sit dolor committens duritiem voluntatis, non est proprie nisi de illo peccato, quod procedit ex duritia voluntatis, quale non est originale: si tamen dolor sumatur late pro quacumque displicitia mali facti præteriti, potest, & debet esse dolor de peccato originali. Dicitur 7. denique Cum proposito non peccandi de cetero; quia nemo verè dolere potest se aliquid fecisse, si non proponat amplius non facere.

Istud autem propositum videtur, per se loquendo, debere esse explicitum: quia aliàs frustra Concilium Florent. in compendio fidei; Trid. loco cit. S. Thom. cum Theologis, illud in definitione Contritionis addidissent, nisi intellexissent illud debere esse explicitum, quia implicitum continetur in priori illa parte, dolor de peccato commisso; fieri enim non potest, ut jam dicebam, quod quis verè de peccatis doleat, nisi virtualitè statim statuat ea iterum non committere. Per accidens tamen, defectu temporis, vel considerationis, sufficit implicitum, seu virtuale, modo poenitentem ita suorum peccatorum poeniteat, quod si adverteret ad futura, proponeret ea nunquam iterare, ut dicit Sylvius hic post Navarrum.

Si quis ergo occupatus, vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita præterita, vel in imploranda Dei misericordia, & petenda venia, vel in excitando in se Dei amore & dolorem de peccatis, non cogitet actu dicens, volo emendare vitam, nolo amplius peccare; sed bona fide est ad confessionem; verè est contritus, & confessio bona proprie virtuale propositum in dolore inclusum. Ita laudatus Sylvius. Et ratio est; quia, ut modò dicam, propositum formale non est de essentia Contritionis, nec consequenter pars essentialis Sacra-

menti; se.l requiritur tantum de præcepto, quando quis vult justificari. Observandum hic pro rudibus, hæc propositum non esse promissionem, seu votum inducens aliquam novam obligationem, sed esse dumtaxat sinceram voluntatem non amplius peccandi, quæ non inducit aliam obligationem, quam eam quæ unusquisque tenetur non peccare.

Porrò hæc tria, scilicet dolorem, & odium peccati, atque propositum non peccandi, necessariò requiri ad contritionem, patet 1. Quia Concilium Trid. & S. Th. illa ponunt in definitione Contritionis. 2. Quia non destruitur peccatum, nisi detestetur, seu odio habeatur: odium autem parit dolorem in subjecto capaci; & ad dolorem & odium alicujus rei sequitur, tanquam proprietates, propositum eandem in posterum non perpetrandi. 3. Quia vera contritio importat veram conversionem voluntatis; conversio autem voluntatis est à termino a quo, scilicet a veteri vita per odium & dolorem, ad terminum ad quem, scilicet novam vitam per propositum emendæ, accedit enim & recedit voluntas per actus suos. 4. Hæc tria requiruntur ad reconciliationem inter homines: ergo & inter Deum & homines.

Sed difficultas quedam est, an Contritio consistat essentialitè formalitè in istis tribus, an in aliquo tantum, & in quo? Pro cujus resolutione breviter Dico 2. Essentia Contritionis non consistit formalitè in istis tribus, sed formalitè in solo dolore, præsuppositivè in odio, & consecutivè in proposito. Prob. 1. Pars. Actus primarius virtutis specialis debet esse unus, & non aggregatus ex pluribus actibus specie distinctis; atqui contritio est actus primarius virtutis specialis poenitentia, & hi tres actus, odium, dolor, & propositum, specie distinguuntur: ergo. Prob. Maj. Actus primarius virtutis specialis est illi similis, ab ipsa enim immediate elicitor, & ipsa per illum specificatur; atqui plures actus specie distincti non possunt esse similes uni virtuti specialis, cum sit simplex qualitas unius speciei: ergo.

Prob. 2. Pars. 1. Ex Auctore, qui hic art. 1. definitis Contritionem, quod sit Dolor de peccatis, &c. dicit dolorem esse genus in hac definitione. 2. Quia, cum contritio sit actus primarius poenitentia, ut jam dictum est, in eo actu formalitè consistit, qui respicit peccatum ut offensam Dei aliqua satisfactione expiabilem, ut patet ex dictis de Poenitentia virtute; atqui talis actus est dolor, & non odium: ergo. Prob. Min. Actus, qui respicit peccatum ut offensam Dei aliqua satisfactione expiabilem, debet aliquid adinere a peccatore, quod quodammodo offerat Deo; atqui odium peccati nihil a peccatore admittit, dolor aliquid admittit; quia per illum patitur aliquod malum poenæ, scilicet tristitiam: ergo. Confirm. 1. Contritio est formalitè poenitentia; atqui poenitere, formalitè loquendo, est poenæ, seu dolore teneri. Confirm. 2. Si contritio formalitè consisteret in odio peccati, reperiretur in Beatis, qui summo odio prosequuntur peccatum, fuissemus odium prosequens: ergo. Tertia & 4. Pars. patet. Odium enim alicujus rei causat dolorem in subjecto doloris capaci; & ad dolorem sequitur tanquam proprietates propositum eandem rem rursus non perpetrandi.

Dices 1. S. Th. hic & alibi sæpè dicit, contritionem esse displicitiam peccati; displicitia autem est odium: ergo. R. S. Th. loqui in sensu causali, non formali; vel sumit displicitiam pro dolore; sicut sæpè accipitur complacentiam pro gaudio.

Dices 2. Si quis diligeret perfecte Deum, & consequenter peccatum odio haberet, absque eo quod cogitaret de dolore, esset verè contritus: ergo. R. 1. N. Suppositum Antecedentis. Non videtur enim possibile, quod quis summo odio habeat peccatum, & non doleat se illud commisisse; dolor enim, ut dictum est, sequitur ad odium in subjecto capaci. 2. Dato Antecedente, iste peccator non foret formalitè contritus, sed virtualitè tantum.

Dices 3. Contritio debet constitui in eo actu, qui per se primò opponitur peccato, sed odium peccati est id, quod per se primò opponitur peccato; dolor enim, ut diximus, sequitur ad odium: ergo. R. D. Maj. Contritio debet constitui in eo actu, qui per se primò opponitur peccato, ut est contra stimulum bonum præcisè, N. ut est offensiva Dei expiabilis per satisfactionem, C. & distincta Min. ad sensum Maj. N. Conseq. Solutio patet ex probatione Conclusionis, & ex dictis de Poenitentia virtute, quam provavimus esse partem potentialem justitiæ.

Dico 3. Contritio debet esse supernaturalis. Patet 1. Ex Concilio Trid. sess. 6. Can. 3. ubi post Concilium Araus. 2. sic definit: Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. 2. Ex Innocentio XI. condemnante hanc propositionem: Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam: 3. Ratione, quia nulla est ratio, nulla connexio ordi-